



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

6. S. Nicolaus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Nicolai Episcopi, Pa-
troni Pauperum, & egenorum pro-
videntissimi!

EXHORTATIUNCULA I.

Charissime! Novimusne S. Nico-
laum? Dubito; quia Patri cœlesti
tam rarò gratias agimus pro beneficiis
tum naturæ, tum infinitæ suæ Providen-
tiæ. Deus est, qui dat escam esurienti-
bus: Et non agnoscitur? *Deus dat om-
nibus affluenter*: Et quis clamat: *Quid
retribuam Domino*. Profectò mi fili!
nec pro his omnibus, quod rependamus,
habemus, nisi tantum, ut diligamus. S.
Bern.

Instructio meritoria.

Post quamlibet refectionem hodie
pergamus ad Ecclesiam, & sub adora-
tione Sanctissimi Altaris Sacramenti
compensemus data desursum pro susten-
tatione corporis munera, recitantes
quindecim Pater & Ave cum uno psal-
mo ex *pœnitentialibus*. Clausula sic af-
fectus admirationis: *O sacrum Convi-
vium! in quo Christus sumitur, recoli-*

Ff 5 tur

tur memoria Passionis ejus; mens impletur gratiâ, & futurae gloriae nobis pignus datur. Ecclesia.

II.

Quid hoc? communibus gratiis contenti esse non volumus? Semper ad prodigia, ad miracula attendimus. Si non videamus, non credimus, non ferventer Deo servimus, liberè peccamus. O pretiosum gratiæ momentum! *Semen modicum est, sed magnus inde fructus: In hoc momentaneo latet aeternitas.* S. Bernardus.

Instructio meritoria.

De precemur ingratitude nostram, in cujus satisfactionem preces mensales clausis oculis persolvamus subjungentes in ecclesia, vel cellâ psalmum devotissimum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Quod dat Deus, commune non est. Omne datum desursum optimum.

III.

Quorum est regnum caelorum? O Fili! nunquid parvulorum, & simplicium.

plicium? Sic Christus: *Sinite parvulos venire ad me.* Non curemus, neque contristemur cum S. Nicolao, si despiciamur à mundo, & homine. Sit satis, quòd placeamus cœlo, & Deo. Si nos hominum opinio movet, maturè abstinemus ab omni opere. Quidquid enim agamus, vel omittamus, perinde est, experiemur criticos. Quid fatigamur? Agamus, quod agi vult Deus. Despici meretur à Deo, qui in hujus causa hominem respicit.

Instructio meritoria.

Taceamus ad irrisiones, vexationes, & linguæ alienæ irritationes. Dicamus: *Amplius Domine! amplius. Tibi laus, honor, & gloria.* Pro ipsis verò irrisoribus, & exactoribus nostris recitemus datâ opportuniore occasione S. Rosarium Dolorosum, cuiuslibet *Pater noster* addendò verba S. Stephani: *Domine! ne statuas illis hoc peccatum.* Deus mala immittit, quòd multa neglexerimus bona: *aquum est, ut qui beneficiis non intelligitur, plagis intelligatur.* S. Cyprianus.